

788.

1284 d. 11 Maj.

Rom.

Påfv. MARTINUS IV:s Tillstånd för Nydala kloster att emottaga och behålla hvad med dem, som sig i klostret ingifvit, bekommes.

A. 1. a. 50. \*)

MARTINUS episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filijs . . Abbati et Conuentui Monasterij de Nouaualle Cisterciensis ordinis Lincopensis diocesis. salutem & apostolicam benedictionem. Deuocionis uestre precibus inclinati, ut possessiones et alia bona, mobilia et immobilia que personas liberas fratrum uestrorum ad Monasterium uestrum mundi uanitate relicta conuolantium et professionem facientium in eodem, si remansissent in seculo ratione successionis uel quocumque iusto titulo contigissent et ipsi potuissent libere alijs elargiri, feudalibus dumtaxat exceptis petere, recipere, et retinere libere ualeatis sine iuris preiudicio alieni, auctoritate uobis presentium indulgemus. Nulli ergo &c. nostre concessionis &c. Datum apud urbem ueterem V. Idus Maij Pontificatus nostri Anno Quarto

Nederst i hörnet till venster: *Jacobus Romanus*. På fränsidan: *Helias de Spoletto*. Blybullen hänger i rödt och gult silke.

789.

1284 d. 18 Maj.

Alsnö.

Kon. MAGNUS Is Tillåtelse för Jönköpings Stad att 2 gånger om året hålla marknad.

G. 1: 8. \*\*)

MAGNUS Dei gracia Sweuorum gotorumque Rex Omnibus presentes litteras inspecturis Salutem in Domino. Regalis beneuolencia debitorum fidelium sibi subiectorum dampna precludere et comodis intendere quantum potest, auxiliante Deo et suum extollit Solium, cumulat et amplificat meritum, et deuotos ad seruiendum animat, cum iustas preces admiserit eorumdem. Sane fidelium nostrorum villanorum iunnæcopensium precibus inclinati, eisdem habendi bis annis singulis sollempnes nundinas, uidelicet in festo beati Antonii et in festo beati Fransisci, quod est post mikaelis, non solum facultatem actoritate presencium confirmamus, verum eciam statuentes, dictas nundinas ibidem premissis temporibus obseruari volumus, et omnibus ad noticiam proferimus, quod omnibus ibi in dictis nundinis venire uolentibus emendi aut uendendi gracia, aut quouis alio iusto negocio, sit Dei et nostra pax et securitas ueniendi, ibi morandi et jterum recedendi, quam presenti testimonio confirmamus. Si quis autem ipsam infringere presumpserit,

\*) Finnes äfven A. 1. d. 79 i vidimation af Bisk. NILS i Skara d. 25 Mars 1386.

\*\*\*) Med anteckningen: Ex Orig. Membr. in Arch. Civit. Junecop.

nostre indignacionis et vlcionis penam non euadet, quam ius dictat nostri mandati contemptoribus et pacis uiolatoribus infligendam. In cuius testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum ad euidenciam plenioram. Datum Alsnø Anno domini M°.CC°.LXXXIII. XV. kal. iunij.

Sigillet bortfallet.

790.

1284 d. 24 Maj.

Nyborg.

Danmarks Rikes Råds, i egenskap af Gode Män, fällda Dom rörande återställandet af Danska Prinsessornas, Svenska Drottningen SOPHIAS och hennes systrars arfvegods.

L. 10: 10224

Omnibus has litteras visuris vel audituris, Jacobus Dei gratia Sleswicensis Episcopus, illustris Regis Danorum Cancellarius, Tuco Ripensis, Johannes Othoniensis, eadem gratia Episcopi, Jacobus Comes Hallandie, Nicolaus dictus Hac, Joon Litlæt, Vffo Niclæssun, Stigotus Andressun, Nicolaus Knutsun, Johannes Grubby, & Thomas Muly, salutem in Domino sempiternam. Constare volumus universis, qvod postqvam ex petitione voluntatis Dominorum illustrium, Erici Regis nostri, & Ducis Jutie Waldemari, ex parte una, ac consensu unanimi universitatis regni Dacie, ex altera, deputati fuimus in arbitros super causis omnibus motis inter ipsos Dominos, Regem, Ducem, & totius regni universitatem, tam ex inclitarum sororum Dominarum, Sophye Regine Swecie, & Ingyburgis Regine Norwegie, nec non & Domicellarum Juttæ & Agnetis, Erici illustris qvondam Regis Danorum filiarum, justis qverimoniis, coram nobis per ipsas & ipsarum nuncios propositis, qvam testimonio fide dignorum evidentissime intelleximus, earum qvedam bona patrimonialia, eas post decessum patris sui jure hereditario attingentia, multis locis per Dacie circulum minus juste in dampnum non modicum illis & grave prejudicium occupari. Unde nos in ipsis causis & hujusmodi qverimoniis viam veritatis sollicite considerantes, prenomnatis sororibus bona sua universa & singula, ubicumqve locorum per regnum Dacie, in Ducatu, vel alibi, violenter & injuste contra earundem consensum & leges patrie inveniuntur occupata, cum fructibus & proventibus ex eisdem medio tempore collectis, sine difficultate qvalibet & contradictione temeraria integraliter arbitramur restitui & exponi, dummodo ipse vel ipsarum tutores legitimi pro debito pretio vel alio modo legali non alienaverant aliqua de eisdem. Ut autem arbitrium nostrum in hac parte editum ratum habeatur & firmum, sigilla nostra presentibus litteris duximus apponenda, in testimonium hujus & cautelam plenioram. Actum & Datum Nyburgh Anno Domini M°.CC°. octogesimo qvarto, Nono Kalendas Junii.